

# STEPHANI TORNACENSIS

## STATUTA QUÆDAM SYNODALIA.

(Edit. Opp. curante R. P. Du MOLINET.)

**I.** Sacris auctoritatibus Patrum docemur, et recta fide creditus ac tenemus, quod animæ fidelium defunctorum, qui in confessione sanctæ Trinitatis decesserunt, et Ecclesiæ orationibus commendantur Deo, et oblatione Dominici corporis requiem consequunt æternam. Nos autem qui divina patientia, non meritis nostris in eminentiori gradu positi sumus, quod aliis prædicamus verbo, probare debemus exemplo.

**II.** Paulo apostolo attestante, didicimus quia naturali successionis ordine servato, patres filii, non filii patribus thesaurizant, id attendentes, etc.

**III.** Institutionis ecclesiastice forma, multis exigitata vigiliis, secundum diversitatem locorum, et temporum, personarumque et causarum varietatem diversis consuetudinibus ordinatur et regitur, disponitur et servatur: una tamen est Ecclesia, una Dei columba, una fides catholica, una circumdata varietate religio Christiana. In hoc autem omnes apostoli et evangelici Patres unum præbuerunt consensum, ut qui altari serviunt, de altari vivant; qui gregem pascunt, de lacte gregis edant; fructum vineæ colligant, qui vineam plantant et in vinea laborant. Sicut enim non debet alligari os bovis triturationis, et dignus est operarius mercede sua, ita et præcipitur ut qui non laborat non manducet. Omnia tamen diebus nostris infirma sunt tempora, et homines seipso amantes et quærentes quæ sua sunt, in pluribus Ecclesiis connumerari et intitulari volunt, et in singulis percipere stipendia, quamvis vel tenuiter non deserviant in una. Nos multitudini parcentes, et fratrum compatientes infirmitatibus, eos de collegio nostro, qui amodo canonici instituentur in Ecclesia nostra, si assidue in ea mansionarii non fuerint, nec omnino privare volumus beneficio, nec

A plena cum aliis percipere stipendia, qui in vñca Domini pondus diæ portant et æstus. Statuimus igitur, etc.

**IV.** Sicut contra desides et sui juris contemptores, inductæ sunt præscriptiones, ita et contra imminentia pericula seu damna, sagaci occurrentum est providentia et cautela. Et quia temporibus nostris dies mali sunt, in quibus abyssus negotiorum invocat abyssum expensarum, nos paterna sollicitudine quotidiana fratrum et canonicorum nostrorum stipendia augeri desideramus potius quam minui, crescere quam perire. Inde est quod communii consilio et assensu capitulo nostri, etc.

**V.** Quia non solum ignominiosum, sed et periculosum constat esse stipendia ecclesiastica, quæ sunt tributa egentium animarum, in turpes et detestabiles usus consummari et consumi, decrevimus communi consilio capitulo nostri domum mundari a pollutione sordium et immunditia lupanari. Siquidem concubina ejus laqueus et pedica animæ ipsius, luxuriose et superflue, tam in ornato vestium quam in cultu corporis impudici, et amplexibus, uti dicitur, alienis enormiter exponens, et expendens, et effundens, et egerens ecclesiasticos redditus, qui ad obsequia divina Deo militantibus deputati sunt, in turpitudinis officio projicit, devorat et absorbet. Proinde fraternitatem vestram rogamus, nec solum fraterne, sed et paterne prohibemus, ne redditus præbenda sua, alicui ex parte ipsius; sive prædictæ quæstuarie solvatis absque conscientia nostra; quoniam omnia, quæ ad ipsum pertinent volumus per manus honestarum et venerabilium personarum tractari et disponi, et in usus hominis corpore et animo languentis salubriter ac rationabiliter expendi.

### FRAGMENTUM

Ex Officio S, Geraldii a Stephano Tornacensi exarato.

#### LECTIONES.

**I.** Sanctorum mortem, semper pretiosam in conspectu Domini, beatissimi Geraldii, tum Patris præcipui, tum etiam confessoris egregii, natalitia festa commendant: jure enim diem sacri ejus de sæculo transitua natalitiam dixerim, quo mundani squalore

D emergens ergastuli, cœlestis concendero meritis palatia regni: deque sinistra translatus in dextram, jura mortis atrocia perenni immortalitate mutavit; et de perituro et labenti seculo evectus est coelo. Vere beatus, vere omnifaria laude dignissimus, cui propositum fuit ita militare in